

temporis breuitas dignitatis aliquid addit. lex uestra paucos dies permanet, euangelia usque ad finem seculi perdurabunt. non uultis romanam curiam. opes contemnitis et, quibus aduersus insidias hostis defendi possitis, arma respuitis nec concordiam, alterum aduersus inimicos remedium, queritis. suadere hanc possumus, prestare non possumus. arbitrii uestri est unioni studere. sepe de hac re uerba fecimus cum Senis ageremus. diximus difficile munimentum ciuitatis esse amorem ciuium. rogauimus ut diuisionis semina tolleretis, id est nomina ipsa factionum. unum reipublice corpus faciendum fore docuimus, cuius neque nobiles neque Duodecim expertes essent. nolulistis audire consilium, secuti estis desideria uestra. frustra nobis ciuitatem commendatis quam priuatis affectibus itis pessum. patriam ut nostro consolemur aduentu efflagitatis et horrendis deterretis edictis; repellitis et inuitatis; uultis et non uultis: nescitis quid eligatis. si uoluissetis romanam curiam ad uos proficisci, iam pridem de petitionibus nostris aliquid mitius decreuissetis. cum dubitetis, nos quoque in dubio sumus an ueniendum sit. Pientiam ibimus templumque consecrabimus. tempus interea et opera uestra nos admonebunt quid sit faciendum.'

His auditis diluere obiecta et placare pontificis animum oratores conati nullum fecere uerbum quod Pius non statim reprobarit. maxime uero dicta Leonardi confutauit *dolo et uanitate plena*. cum duabus circiter horis hinc atque inde sermo percurrisset, legati relatores in senatu que audiuisent sese dicentes abierunt.

5. Secutus hucusque marescallus tolosanus, cum diebus aliquot in Abbatia mansisset audissetque nouos legatos ex Francia, qui mandata mitiora ferrent, propediem uenturos, impetratis quibusdam gratiis more hominum, qui publica missi curare sua non negligunt, pontificis recessit amicus.

Et baro quidam illustris a rege Hungarie missus superuenit maiestate corporis et morum elegantia fidem exigens et qui superiori anno ex Turcorum captiuitate fuisset redemptus. eius oratio hunc sensum habuit: Turcorum imperatorem pacem Hungaris offerre Valachiam et Bosnam relicturis; apparatus belli maximum facere inuasurumque proculdubio cum ualidis copiis Hungaros nisi conditiones accipiant; regi nec consultum uideri belli socios eosdemque subditos hosti prodere, nec uires esse quibus tantam belli molem sustinere queat; orare

1 sed lex 2 nostra uero potestas permanebit 25 audiuissetque

396^r ne deseratur; si cesserit Hungaria Turcis, expectanda illorum arma in Italia; scire se Maumethis propositum, qui sibi Occidentis imperium persuaserit; Hungaris domitis nihil ei difficile futurum; ex illis non esse requirendum quod prestare non possent. pontifex quamuis in Italia 274^{av}
5 grauissimis belli sumptibus premeretur uixque illis suppeditare pecunias posset, in Hungaria tamen ere suo equites mille conducturum se ait, qui regi ad bellum ituro coniungerentur; Venetos quoque opem laturos; hortari ne animo deficerent; in alterum annum futurum ut maiora possint auxilia prestari. legatus hac sponsione placatus in Hungariam 404
10 rediit. cardinalis strigoniensis pecuniam pro pontifice dissoluit; Veneti aureorum uiginti milia regi misere.

6. Atrebatensis, cum esset in Vituruio pontifex, Ludouici Francie regis litteras in consistorio dederat, quarum uigore procurator constitutus comitatus in Dalphinatu duos circa Rhodanum, ualentinensem ac diensem, romane donarat Ecclesie. Pius acceptauerat. ob quam rem placuit Antonium Noxetanum ad regem mittere, qui donatarum rerum possessionem et promissi fidem exigeret. ultimus terrarum dominus a suis olim nepotibus in carcerem fuerat coniectus. ille moriens 396^v
ultima uoluntate Francie regem ea sibi conditione nuncupauit heredem ut, si quid unquam ad ingratos nepotes ex suis bonis sineret peruenire, hereditas ad romanam Ecclesiam deuolueretur. Carolus, qui tunc regnabat, oppida que testatoris fuerant pleraque exhereditatis nepotibus dederat testamentumque uiolauerat. Ludouicus ad regnum sublimatus, quod esset Ecclesie, restituendum censuit data potestate Atrebatensi 25
qui, retenta hereditatis parte ultra Rhodanum sita, reliquum Pio traderet. idque factum habuit ratum, quamuis prefecti locorum primas eius iussiones neglexerint.

7. Dum hec geruntur, in Germania Carolus badensis marchio accersitis belli sociis fortissimum instruit exercitum atque aduersus palatinum comitem profectus hostilem agrum tanquam horrida tempestas inuadit, uillas exurit, oppida diruit, ferro et igne cuncta consumit. uictor nusquam reperit hostem; augetur animo successu rerum atque inimicum contemnit. comites si sibi auscultauerint, turpem inustum hosti notam se dicit; iturum se cum delectis equitibus Edelbergium 275^r
35 usque atque ibi extra menia leporaria et aliarum ferarum septa uastaturum. receptum est consilium: cecos secunde res fecerant. octingenti 397^r
equites ex omnibus copiis deliguntur, uiri fortes equis et armis instruc-

17 possessionem: promissionem Cv 22 exhereditatis C

tiores. iter quod unum erat inter montes et Neccarum amnem, qui e
 sueuicis agris in Rhenum procurrit Edelbergiumque abluit, nil metuen-
 tes ingrediuntur. Palatinus aduentu per exploratores cognito parte
 copiarum, que a tergo feriat hostem, in insidiis collocata cum reliquo
 5 exercitu non expectatus occurrit et magno clamore manus conserit.
 405 atrox certamen initur. Badenses et a tergo et a fronte urgentur nec
 ultra progredi nec retro cedere possunt. sola in dextris spes manet:
 clausa fugiendi uia. alter hortatur alterum in cedem. summis conatibus
 itur et iam Palatini cessurus equitatus fuerat, nisi prodeuntes e latebris
 10 pedites longis hastis Badensium equos confodere cepissent stragemque
 animalium horribilem fecissent. ea res Palatino uictoriam peperit quamuis
 non incruentam, cum ferox hostis, etiam ceso in quo sedebat equo, in
 pedes erectus certamen instauraret neque se uictum fateri uellet nisi uul-
 neratus. ob quam rem *multi ex utraque parte perierunt*. Badensis cum
 15 fratre episcopo metensi et comite Virtembergii multisque aliis baro-
 397^v nibus ac nobilibus captus est et manicis uinctus ferreis in carcerem
 tetrum raptus. Palatinus *more barbarorum* exultans et uictis illudens
 diris modis affectit miseris. ea res Dyetheri causam apud Germanos
 haud parum erexit cuius esset Palatinus adiutor, Badensis inimicus.
 20 pontifex in Abbatia accepto infelici nuntio 'Superbia' inquit 'nostrorum
 ducum res maguntinas debiliores fecit, non abstulit. uiuo Pio nunquam
 Dyetherus ex auctoritate prime sedis maguntine presidebit ecclesie
 et, nisi fallimur, uictoria que nunc ad hostes defecit, cito ad nostros
 redibit.'

25 8. Per idem tempus episcopus ferrariensis, cum regem Francie
 conuenisset ac mandata pontificis exposuisset, longe aliud responsum
 quam sperauerat accepit. contempsit omnia Ludouicus que de Turcis
 asserebantur, qui *more gallico* suspicionibus laborans rem fictam existi-
 mabat, ut eo pacto res sicule obdormiscerent. cum instaret episcopus
 30 et responsa meliora peteret, missurum se Ludouicus ait breui ad pon-
 tificem legatos suos de rebus siculis et turconicis tractaturos. interea
 Henricum Anglia pulsum in regnum restituere uelle; quod uno se anno
 facturum non dubitabat. id cum audisset episcopus 'At ego' inquit
 'in hanc expeditionem quattuor tibi annos adiicio.' atque his quasi
 35 per iocum dictis *ab eo* recessit.

9. Margarita Anglie regina tum forte Ludouicum adierat regno

7 dextra 10 pedites *add in mg R* 14 multi ... perierunt *om C*

398^r pulsa. quam ferunt in conuentu procerum his uerbis regem allocutam:
 'Supplex ad te uenio, Francorum gloria. Renatus pater meus, tuus
 auunculus, ut genitori tuo regnum pacaret, Henrico Anglie regi in ma-
 trimonium me collocauit. nuptie mee indutias peperere belli, et Francia,
 5 que magna ex parte desolata iacebat, meo coniugio reparata est. uerum
 406 quietem ego quam dedi aliis mihi retinere non potui. in candele morem
 exusta sum dum aliis affero lucem. gallica pax in me bellum transtulit.
 eiecti Angli e regno tuo pacem domi seruare non potuerunt. inuenta
 est litis causa: regnum aiunt haud equo iure uiri mei maiores obtinuisse;
 10 duci eboracensi deberi qui propter seditionem fuerat in exilium missus.
 Varuici comes pari causa eiectus socium illi se addit. congregant ambo
 ualidas manus. uir meus, quem par fuerat nasci feminam, in potesta-
 tem illorum uenit, qui facto apud Lundonias parlamento regnum,
 quoad uiueret, coniugi meo confirmauere, filium exheredarunt, me
 15 hostem regni declarauerunt. duci annum stipendium marcharum auri
 decem milia statuerunt et post Henrici mortem regni coronam. pug-
 nauit ego aduersus ducem et prelio uictum interfeci; uirum e manibus
 hostium recuperaui et regni maiorem partem ad me traxi. uerum mu-
 398^v tata belli fortuna coacta sum regno cedere. cum filio in spem regni 276^r
 20 genito et cum uiro, qui annos supra quadraginta regnauit, ad Scotos
 confugi, eorum infelix auxilia querens qui hostes regni implacabiles
 fuerant. neque sum spreta: miseranda etiam inimicis mea calamitas
 uisa est. non dubitauerunt Scoti eiectam adiuuare reginam et hospitio
 confouere benigno. sed quid agerem? non sunt Scotorum uires que
 25 mihi possint regni solium restituere. filius Eboracensis, Eduardus, in
 Anglia rex declaratus est et ab uniuersa fere gente receptus. nisi tu
 adiuues, *meus sanguis*, frustra conabor. tibi potestas est res
 anglicas corrigere. quietum inuenisti regnum et diues et milite plenum
 patri succedens. nemo tibi non obedit. et quid est Anglia ad Galliam
 30 comparata? bellatores qui erant in Anglia quasi omnes cecidere; plus
 centum milia militum unius anni absumpsere prelia. tibi copie innu-
 merabiles militant nec pecunie desunt. miserere inopis regine et regis
 eiecti. par tibi et mecum et cum illo consanguinitas adest: illum amita

22 cf *Ou Met* 6,276 27 *Verg A* 6,835

10 propter ... fuerat *add in mg R* 11 se illi *Cv* 13 parlamento: consilio
 16 milium 18 ad me traxi *add in mg R*

PII II

COMMENTARII

RERVM MEMORABILIVM QVE TEMPORIBVS
SVIS CONTIGERVNT

AD CODICVM FIDEM
NVNC PRIMVM EDITI
AB
ADRIANO VAN HECK

Vol. II

CITTÀ DEL VATICANO
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

1984